



DISSESSATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
CATARRHIS
QVATENVS SALVTEM ADFERRE
DICVNTVR

QVAM
SVB AVSPICIIIS DIVINI NVMINIS
AVCTORITATE ET CONSENSV GRATIOSAE
FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI
POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS CONSILIARIO INTIMO
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO, FACVLTATIS
MEDICAE SENIORE ET RÉGIORVM ALVMNORVM EPHORO, IMPERIALIS ACADEMIAE
NATVRÆ CVRIOSORVM PRAESIDE, REGIAR. SOCIETAT. SCIENTIAR. ANGLICAN.

ET BEROLINENS. SODALI, ET COMITE PALATINO CAESAREO,

P R O

G R A D V D O C T O R I S
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS MORE MAIORVM LEGITIME CONSEQVENDIS

DIE XIII. AVGUST A. S. R. CLXIII.

PVBЛИCЕ DEFENDET

AVCTOR
IOHANNES PETRVS SCHMIDT
RIGA - LIVONVS.

HALAE MAGDEBURGICAE, LITTERIS BEYERIANIS.

THEATRUM MUNDANUM

THEATRUM MUNDANUM

THEATRUM MUNDANUM

THEATRUM MUNDANUM

GRAVISSIMO ET SPLENDIDISSIMO INCLYTAE
CIVITATIS IMPERATORIAE RIGENSIS

SENATVI
VIRIS

NATALIVM SPLENDORE, INGENII GLORIA,
ABUNDANTIA ERVDITIONIS ET DOCTRINAE, PRAESTANTIA
VIRTUTVM, MVNERVM AMPLITUDINE ET MERITORVM
MAGNITUDINE AC GRAVITATE SPECTATISSIMIS,

ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, GENEROSIS
PRAENOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, CONSVLTISSIMIS ET
PRVDENTISSLIMIS DOMINIS

CONSVLIBVS
SENATORIBVS
SECRETARIIS,

PATRIAE PATRIBVS INDVLGENTISSLIMIS,

SALVTIS PVBLICAE
DEFENSORIBVS, CVRATORIBVS
MVSARVM PROMOTORIBVS
MAECENATIBVS, PATRONIS
AC FAVTORIBVS OPTIMIS

OMNI PIETATE ET ANIMI SANCTITATE

VENERANDIS,

HOC QVALECVNQVE STVDIORVM SVORVM

SPECIMEN IN AVGVRALE

SACRVM ESSE IVBET

AVCTOR

IOHANNES PETRVS SCHMIDT.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
CATARRHIS
QVATENVS SALVTEM ADFERRE DICVNTVR.

PRO O E M I V M.

Sicuti Philosophi est, ea detegere bona, quae in quibusunque malis, in Vniuerso hoc com-parentibus, obuoluta quasi latent: ita officium, ita vera dignitas a Medico requirunt, vt, quae morbis abscondita insunt, statumque corporis humani interiorem respiciunt, bona euoluat, consideret, atque malis morborum effectibus cautissime discernat, ne vitia indigna in medendis aegritudinibus committat, e quibus dein tristissimi saepe propullulant effetus, nulla haud raro arte nullisque remediis extirpandi. Bona scilicet aequa ac mala, morbis corporis humani adsociata, dupli modo considerari possunt. Alia nempe in liberam hominis aegri influunt voluntatem ita, vt aeger inde ad has

A 3

vel

vel illas liberas actiones subeundas disponatur, quae iam ideo *moralia* erunt. Alia contra ea cum liberis aegroti hominis actionibus vel plane non, vel non descripta ratione cohaerent atque connexa sunt, *physica* idcirco dicenda. Vitam, vitiis deturpatam, relinquere, adque meliorem redire frugem, bonum est morale, quod saepe per aegritudines efficitur. Sunt vero etiam morbi, quorum ope corpori inhaerens nocina materia expellitur, qui ideo bonum, non morale, sed physicum producunt. Bona et mala *physica*, in aegritudinibus latitantia, duplicitis iterum speciei deprehenduntur. Vel enim internum magis corporis humani statum, sanitatem nimirum, morbum, et mortem respiciunt, vel non. Haec, ut et *moralia*, ad Medicinam referri non debent, quum extra sphaeram scientiae medicae sint. *Physica* vero bona et mala, a morbis pendentia, quae statum corporis humani internum mutant, omnem Medici attentionem merentur, suntque eiusdem indefessa diligentia, aequa ac reliqua Phi-
lo-

losophorum indagatione, quam maxime digna. Atque hinc, impulsi forsitan argumenti grauitate Medici, ab omni ferme aevo in id potissimum incubuerunt, ut quid mali, quidue boni morbis insit? ostenderent. **HIPPONCRATES** et **GALENVS** plura iam hac in re praestiterunt. **HOFFMANNVS**, **SYDENHAMVS**, et qui morborum vi nimium forsitan dedit tribuitque **STAHLIUS**, copiosius Veterum effata exposuerunt; non pauca adiecerunt eademque ita exornarunt, ut omnes fere Medicos hac in re habuerint dein sequaces. Non potuerunt tamen omnia diuortia impediri. Alii enim generatim omnem morbum salutare Naturae conamen, a quo noxium illud, corpus adfligens, eiicetur et immutaretur, dicendum esse putabant; alii contra ea non sine ratione ex obseruationibus praticis concludebant, non vniuscuiuscunque morbi finem adeo praestantem, nostroque corpori adeo esse salubrem; alii denique, vacillantium instar, nesciunt, cuinam dissentientium potiores dent partes?

tes? Durans adhuc haec controuersia solide vix dirimi potest, nisi quilibet morbus sub diuerso respectu consideretur, eiusdemque hinc diuersa ad corpus humanum exponatur ratio. Hinc enim fiet, ut noxa et salus, inde a morbis ad corpus humanum redundantes, rite comparari et diiudicari queant.

Specimen huius rei impraesentiarum suppeditabo, de *Catarrbis*, quatenus salutem afferre dicuntur, scripturus. Eo vero magis hoc meae tractationis selegi argumentum, quo saepius fieri solet, ut salus, a catarrhis speranda, nimium extendatur, quoque frequentius est, ut ipsum vulgus omnem salutem in catarrhis reponat. Dicam primo de catarrhis, quatenus corpori nostro salutem adferunt; regulas *dein* adducam, quas exsequi debemus, ut salutis, a catarrhis producendae, compotes fiamus. Lectores humaniter rogo, ut haec mea cogitata velint beneuelle accipere.

§. I.

§. I.

Nares, sinus maxillares, frontales et sphenoidei, cellulae ossis ethmoidis, fauces, oesophagi demum et asperae arteriae interior superficies, docente Anatomia, glandulis scatent, vasculisque abundant tenuissimis, quae, praeeunte Physiologia, mucus plorant, eundemque eructant. Vid. HEISTERI *Compend. anatomi.* §. 286. *Illusfr. de HALLER prim. lin. Physiol.* §. CCCCLVIII. seqq. Quum itaque in ipsis locis muci perficiatur secretio, hancque dein excipiat excretio; secretiones vero, pariter atque excretiones, diuersimode, contra sanitatem etiam, mutari et alterari queant, per plura exempla Pathologia id demonstrante; inde colligimus, se- et excretionem muci, in denominatis locis separati, morbosam reddi atque hinc loca ipsa morbo affici posse.

§. II.

Fieri ergo potest, vt in iisdem partibus (§. I.) secretio plane cesseret, aut valde imminuat; vt excretio muci secretioni eiusdem minus respondeat, atque demum, vt loco blandi muci tenui magis et acre effluat liquidum. *Angina aquosa, oedematoso, catarrhoſa tenuis,* (BOERHAAVII Aphorism. de cognosc. et cur. morbis §. 791), seu *angina pituitosa* (*Illusfr. b. m. ELLERI Obseruat. de cognosc. et cur. morb. praesertim acutis p. 166.*) est distensio vasorum muciferorum faucium, laryngis aut pharyngis, facta a moco. Haec itaque anginae species oriri debet, quando secretionem muci, in allegatis locis factam, proportionata non subsequitur excretio et effusio. Angina eapropter pituitosa possibilis est (per anteced.).

§. III.

Vocis iucundae haud exigua pars mollitiei laryngis adscribenda erit. Vid. *Illusfr. de HALLER Elem. Physiol. corpor. hum Tom. III. Libr. IX. Sect. III. §. XII.* Verum laryngis mollitiae nequit integre conseruari, nisi

B

muci

10 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA, DE CATARRHIS,

muci blanda materia continuo humectatur. Quamobrem, si mucus laryngem non irrorat, iste rigidus euadit atque *vox rauca* profertur. *Raucitas* ergo supponit deficientem muci in laryngis interiora effusionem, quae cum possibilis sit (§. anteced.), raucitatem etiam possibilem esse constat.

§. IV.

Branchus est vel raucitas (§. ant.), vel nimis copiosa muci in asperam arteriam facta effusio, vel nimia glandularum muciferarum asperae arteriae a muco repletio, vel denique *branchi*, aut *branchae*, dicuntur frigidi fau- cium tumores, cum difficulti exscreatione et anxia aëris inspiratione connexi. Ergo et hoc vitium subnasci potest, quod *branchus* vocatur (§§. II. III.).

§. V.

Quum generatim fieri queat, vt vitia excretionis muci, in naribus si- nubusque nasi secreti, orientur (§. II.), contingere etiam poterit, vt vasa harum partium mucifera nimium a muci copia adimpleantur. Subnatum hoc vitium *grauedo* vocatur. Poterit vero incidere quoque, vt largior li- quidi, mucosi primo, dein vero acris et muco tenuioris, copia e naribus stillet (§. rit.); atque vitiosa haec excretio *coryza*, aut *phlegmatorrhagia* nominari solet, quamvis nonnulli phlegmatorrhagiam adhuc a coryza distinguant, perque hanc impeditam quamcunque muci excretionem intelligendam esse velint. Nolui tamen hic ab ysu loquendi a plurimis recepto tantopere recedere, vt de eo nil dicam, quod, probata modo allata cory- zae definitione, grauedo a coryza discerni vix queat, quod tamen necesse esse, yltro patet.

§. VI.

Catarrbi vox modo latiori, modo strictiori significatu a Medicis usur- patur. Catarrhus *latius* sumitus, significat vitia §§. II. III. IV. V. enu- merata. Nimis scilicet latus mihi videtur catarrhi significatus, cuius men- tionem

tionem iniicit *Celeberr. CARTHEVSERVS* in *Fundam Patholog. et Therap.* Tom II. Se^ct. VII: Cap. II. §. I. pag. 615. et secundum quem catarrhi vox ad oculorum rheuma, seu epiphoram humidam, ad tussim atque diarrhoeam mucosam adplicatur. Quamvis enim catarrhi vocabulum aequem ad haec vitia assignanda usurpari queat: certum nihil minus est, Pathologo non licere a significatu, quem plurimi Medici probant, recedere. Catarrhus vero *strictiori* significatu sumitus, designat modo grauedinem, modo coryzam; iterum enim nimis stricte accipitur catarrhi vox pro sola muci ad pectus destillatione, licet verum sit, Veteres iam ita locutos esse. Quoniam nunc, qui catarrhis tantam in stabilienda corporis humani salutem potentiam adscribunt, ad posteriorem potissimum significatum attendunt; mihi etiam de hoc imprimis sermo erit faciundus. De priori tamen pauca quoque adiciam.

§. VII.

Priusquam solide quidquam de catarrhorum salute stabiliri potest: causae eorum atque inde resultantes ad corpus humanum affectiones inuestigandae erunt. Ex definitionibus, in superioribus allegatis, elucescit, quemcunque catarrhum supponere vel secretionem muci deficientem, vel eiusdem liquidi tenuioris et acris aut impeditam, aut nimis copiosam excretionem, vel demum secretionem muci nimis copiosam cum languida quasi illius excretione connexam. Quidquid itaque haec vitia in corpore humano producit, catarrhorum causa existere potest. Ut vero haec exactius et sufficienter a me praemittantur, vberius de alio vitio, cum ipsis simul sub catarrhorum duratione in corpore praesente, verba prius faciam.

§. VIII.

Docet experientia, cum omni catarrho modo veram febrem, modo motus certe febiles conpexos esse. Notum vero est ex Pathologia, febrem

12 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA, DE CATARRHIS,

aut motus febries oriri vel ab obstruzione, vel a materia irritante. Ergo febris aut motus febries, ad catarrhum accedentes, vel ab obstruzione, vel a materia irritante pendere debebunt. Obstructio non nisi in tantum cauſa febris motuumque febrilium esse potest, in quantum scilicet cor, mediante adſluente ſanguine, in loca obſtructa agit. Quodſi ergo cum catarrho ideo addeſſent aut febris, aut motus febries, quoniam obſtructio vasa occupat: ſequeretur exinde, cor, ſanguinis allidentis ope, in vasa obſtructa ſuam debere exſerere potentiam. Sed cor in vasa ſecretoria age-re non potest ita, vt ipſi, ob haec obſtructa, valida nafcator resiſtentia. Ergo obſtructio in cauſa eſſe nequit, cur modo febris, modo motus febries cum catarrhis corpori humano ſimul inexistant (per anteced. et §. VI.). Hinc itaque materia irritans adſit necesse eſt. Cauſa, quae cor validius irritat, eſt vel copia ſanguinis, vel huius exorbitans motus, vel demum ſales, in maſſa ſanguinea oberrantes. Copia ſanguinis huiusque orgaſmus febrium catarrhalium, motuumque febrilium, quibus catarrhi ſtipati incedunt, rationem nequeunt in ſe continere. Demonstrat enim experientia, catarrhos ſine plethora exiſtere, atque, licet cum catarrhis modo leuior, modo grauior connexus deprehendatur orgaſmus, is tamen effectus potius erit, quam cauſa febris et motuum febrilium, catarrhis adſociatorum. Nulla itaque amplius cauſa, febrem hanc determinans, ſupererit, quam quae ab alieno ſanguini inexistente principio ſalino profiſcitur. Vnde concludo, *omnia, quae vitia §. anteced adnotata inducunt, eatenus tan-tum cauſas eſſe catarrhorum ſufficientes, quatenus ſimul efficiunt, vt ſa-les in ſanguine abundant.* Sine hac enim determinatione verum catar-rhum ingenerare plane nequeunt.

§. IX.

Secretionem muci deficientem (§. VII.) producunt ſequentia: I. *De- fectus muci in ſanguine.* Quum enim a ſanguine omnes ſecretiones eue- niunt;

nunt: necesse est, vt tale tantum, quod sanguini antea inhaerebat, liquidum secernatur. Si ergo sanguis eodem desituatur, secretio illius continere non potest. II. *Vasa mucifera nimis arcata*. Quodsi enim horum vasorum diameter nimium quantum angusta est, tunc vel nihil, vel humor, muco tenuior, tantum secerni potest. In vtroque autem casu deficit mucus. III. *Motus sanguinis magis langescens, quam ad muci secretionem requiritur*. Omnis enim secretio necessario determinatum sanguinis impetum, quo in vasa secretoria pellitur fluidum secernendum, sibi vindicat. Quomodo ergo secretio perfici potest, si impetus iste desideratur? IV. *Vasa sanguifera, secretioni destinata, nimis angustata*. Tunc enim vel nullum, vel muco tantum tenuius separatur fluidum. V. *Mucus nimis viscidus*. Quando enim mucus nimia laborat viscositate, vasa mucifera, naturaliter constituta, illius respectu nimis angusta sunt. Deficit inde itaque muci secretio (n. II.). VI. *Vasa mucifera iam obstructa*. Mucus enim in loca ab alio fluido obstructa abire non potest. VII. *Sanguis valde deficiens, aut vasa sanguifera, muci secretioni inferuentia, obstructa*. Sanguine enim, tamquam fonte fluidorum secretorum, deficiente, nequit vniquam vla perfici secretio. Haec itaque cessabit semper, si sanguis vel vere in corpore deficiat, vel, praesente eo licet in corpore, caussae adfuerint, eius ad loca secretoria delationem impedientes, quorum obstructio quoque arteriae fecernentes pertinebit. VIII. *Glandulae quomodocumque obstructae*. Quum scilicet mucus in corpore humano cryptarum etiam ope fecernatur, dum arteriae fecernentes tenuius paullo fluidum in easdem eructant, vasorum resorbentium auxilio dein inspissandum: opus est, vt secretio muci cesser, si glandulae istae simplicissimae fuerint obstructae. Atque idem etiam contingere debet, quando IX. *cryptae et vasa mucifera a copia muci nimium distenduntur*. Nimia enim harum partium distensio non incongrue potest obstructioni earum in hoc casu substitui.

14 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA, DE CATARRHIS,

§. X.

Excretionem muci (§. VII.) impediunt sequentia: I. *Defectus muci* (§. anteced.). Fluidum enim secernendis fluidis adnumerandum, nondum secretum, qua tale excerni non potest. II. *Muci nimia secretio*; tunc enim proportionata eius nequit contingere excretio. III. *Muci nimia visciditas*, vt pote quae transitum illius in vascula sat tenuia praepedit. IV. *Vasorum excretiorum coarctatio nimia et obstruc^tio*, quae vitia muci nimiae visciditatis substitui satis apte possunt (n. II.). V. *Muci nimia acrimonia*, quae irritantem exserit effectum (n. III.). VI. *Virium externarum, nonnumquam excretionem muci adiuuantium, deficiens actio*. Sic pulmones nimium debiles excretionem hanc saepe retardant et suppri-
munt. VII. *Materia exterius applicata acris*, quae vascula excretoria stringit.

§. XI.

Secretionem muci (§. VII.) copiosorem efficiunt: I. *Abundans muci copia in sanguine*. Quo maior enim est fluidi secernendi copia in massa sanguinea: eo copiosius hoc ad conuenientia loca secretoria defertur, eo-que maiori in quantitate, ceteris manentibus, secernitur. II. *Quae efficiunt, ut sanguis copiosus ad loca muci secretoria affluat*. Quando nempe san-
guis copiosius ad loca muci secretoria perfertur, fieri aliter non potest, quin intra datum temporis interuallum mucus secernatur copiosius. Nonne ita-
que generatim inde copiosior debet huius fluidi secretio euadere? III. *Quae vasa mucifera paullulum laxant*. Expeditus nimirum in hoc casu mucus a sanguine separatur; prior hinc copia iam secreta subsequenti minus resi-
stit; vnde celerior et copiosior fit secretio. IV. *Impetus sanguinis ad lo-
ca muci secretoria tendentis, paullulum au^tus*. Hic enim, quam dia-
metrum vasorum muciferorum distendat, relaxationi horum vasorum sub-

stituen-

stituendus venit (n. III.). V. *Oscula, per quae a sanguine in cryptas deponitur fluidum, muci praeparationi inferuiens, paullulum dilatata.* Minus nimirum tunc fluido affluenti resistunt, quo sit, ut hoc circa celerius que secernatur. VI. *Excretio muci praepedita*, cuius dein respectu muci secrecio nimis adaugetur.

§. XII.

Excretio muci copiosior (§. VII.) evadit, quando I. *mucus paullo maiori in quantitate est secretus et obſtacula*, §. X. adnotata, non adsunt (§. anteced.). Etenim demonstratur in Physiologia, excretionem fluidi secreti, eius secretioni semper respondere, nisi vitia suboriantur, quae efficiunt, ut illius excretioni ponatur obex. Quum iam a nobis assumitur haec deesse: autēa muci secrecio autam simul eius excretionem comitem habebit. II. *Si vires externae, mucum quasi exprimentes* (§. X. n. IV.), validius agunt. Effectus enim cauſae suaे semper est proportionatus, ut iam omittam, inde a validiori fluidi secreti excretione eius secretionem quoque augeri facile, idque ideo, quoniam subsequens fluidi secreti copia priorem vix resistentem experitur. III. *Si vasa et oscula excernentia laxa redditā sunt.* Hinc nimirum fit, ut minus egredienti fluido resistant. IV. *Si mucus valde resolutus est.* Facilius enim tunc et se et excernitur (n. I.).

§. XIII.

Sales in massa humorum, sanguine nempe indeque oriundis fluidis secretis, abundant (§§. VII. VIII.), quando I. *idem copiosus, quomodounque id etiam fiat, ad sanguinem deferuntur.* Cibis, potu, aëris acrioris inspiratione, contagio, saliuæ acris redditæ deglutiitione, contingere id potest. II. *Si motu humorum intestino sales liberantur et noui oriuntur.* Docetur enim in Physiologia et Chemia, motum eiusmodi humorum intestinum saluum tam praesentium explicationi, quam nouorum ortui fauere.

III. *Si*

16 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA, DE CATARRHIS,

III. *Si excretiones serosae aut languescunt, aut supprimuntur.* Serosa enim massa, multis particulis salinis referta, congrue excreta, corpus humanum contra salium defendit abundantiam. Quam primum ergo contigerit, ut eiudem excretio vel languida euadat, vel supprimatur; opus est, ut sales in humorum massa contineantur copiosiores.

§. XIV.

Mucus tandem tenuis magis (§. VII.) excernitur: I. quando *tenuis iam inexsilit sanguinis massae*, vtpote a qua secernitur; II. quando *vasa tam secernentia, quam secretoria vitiis*, §. IX. n. II. IV. allatis, *affecta sunt*; III. quando *mucus adeo viscidus aut acris est, vt in oscula ductuum excretorum transfire nequeat*, tunc enim tenuior tantum eius portio, relictâ crassiore, excernitur; IV. quando *sanguinis, ad loca secretoria adpulsi, motus nimium langescit*: mobilior enim allati sanguinis portio, mucus ergo tenuior, tantum, statu hocce suborto, ad vascula secretoria, mucus recipientia, transfibit.

§. XV.

Ortus catarrhorum requirit, ut in descriptis §. I. locis vel secretio muci deficiat, vel eiudem liquidi, vel tenuioris et acris excretio aut impediatur, aut nimium excedat, vel demum secretio muci nimis copiosa, cum languida illius excretione connexa, adsit, inque corpore quodam obtinet (§. VII.). Demonstrauiimus, dein (§. VIII.), enumerata haec vitia verum catarrhum producere non posse, nisi in sanguinis massa simul sales abundant. Euicimus tandem §§. IX et seqq. quiaenam sint caussae, muci se- et excretionem aut nimium imminuentes, aut morbose promouentes, atque vndenam muci excreti nimia tenuitas eiudemque et sanguinis acrimonia prouenant? Ergo exinde caussae catarrhorum generatim cognosci possunt. Nihil itaque dicunt, nihil explicant, qui catarrhos a defluente e ce-

rebro

rebro seroso humore deducunt. Late hic error serpsit, de quo plura proferrem, nisi LOWERVM pulcre hoc figmentum extirpasse viderem. Vid. Eiusd. *Tract. de Corde Cap. VI.*

§. XVI.

Speciales nunc cuiuslibet catarrhi caussae ex generalioribus ipsis (§. anteced.) deducuntur facile. *Grauedo* est distensio vasorum muciferorum nostrorum sinuumque nasi nimia, a muco facta (§. V.). Supponit ergo partim copiosorem muci in his partibus secretionem, partim impeditam illius excretionem, partim denique acrem simul massam, sanguini inhaerentem (§. VIII.). Caussae itaque, §§. X. XI. XIII. recensitae, caussae erunt gravedinis. *Coryza* vindicat sibi copiosam seri acrioris e naribus excretionem (§. V.). Id ergo, quod mucum excernendum attenuat, quod excretionem illius auger, quod tandem necessarium simul illud irritans (§. VIII.) producit, caussa esse debebit coryzae. Huius ea propter caussa composita est ex caussis, quarum mentionem §§. XII. XIII. XIV. iniecimus. Angina puitosca est distensio nimia vasorum muciferorum faucium, laryngis aut pharyngis, a muco producta (§. II.). Hinc generatim ab iisdem caussis proficitur, a quibus grauedinem oriri diximus. *Raucitas* vocatur morbus a deficiente muci in laryngis interiora effusione pendens (§. III.). Caussae illius itaque speciales continentur §§. IX. X. XIII. Quod *branchum* demum attinet, §. IV. descriptum, caussae illius partim absque difficultate ex iis, quae modo allata a nobis sunt, cognosci queunt, partim vero ex iis, quae §§. XI. XII. disputata reperiuntur, hauriantur necesse est (§. IV.). Conf. BOERHAAVIVS l. c. §. 791 et seqq.

§. XVII.

Praemissis iis, quae proxime magis catarrhos efficiunt, caussis, caussae eorum magis remotae haud difficulter eruuntur. Possem hic ab iis,

C

quae

18 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA, DE CATARRHIS,

quae proxime iterum proximas catarrhorum cauſas (§. anteced.) excluſunt, ordiri, atque ex his demum maxime remotas catarrhorum cauſas deducere. Quum vero illae partim ex Pathologia ſufficienter pateant, partim nimis longum meum redderent sermonem: ad eas ſtatiu me conuentam catarrhorum cauſas, quae minus proxime vitia (§§. IX ſeqq.) in catarrhorum locis (§§. I. VI.) producunt. Referenda huic praecipue erit *excretio peripherica aut suppressa, aut languescens.* Per cutaneam enim hanc excretionem fluidum aquosum et ſalinum e corpore eliminatur. Verum excretiones ferofae aut languescentes, aut suppressae efficiunt, ut ſales alieni in humorum maſſa abundant (§. XIII. n. III.). Ergo excretio peripherica aut suppressa, aut languescens, iſtam primo corpori inducit affectionem, quae ſub omni catarrho neceſſario ſupponitur (§§. VIII. XVI.). Dein vero ab eadem cauſa vitia quoque, ſe- et excretionem muci reſpi- cientia, in ſuperioribus a nobis allegata, procreari poſſunt, idque pro di- verſitate partim acrimoniae inducet, partim earum affectionum, quae in in diuiduo quodam ſpecialiſſime obtinent. Quum enim ſales abundantes irritante effectu praediti ſint; facile patet, fieri poſſe, ut ab excretione peripherica aut languescente, aut suppressa, muci ſe- et excretio impediatur (§. IX. X.). Coarctatio enim vaſorum irritationis eſt effectus (§. IX. n. II. IV. §. X. n. III. IV.). Verum is ipſe irritans effectus, principio ſalino non ita acri exiſtente, ſanguinem copiosius ad loca ſe- et excretoria muci alli- cit, abſque eo, ut vaſa mucifera tantopere conſtringantur, ut muci excre- tio inde impediatur. Tunc vero ſecretio muci largior euadit (§ XI. n. II.), accidente praecipue paullo maiori ſanguinis impetu (§. cit. n. IV.), quem ſales, cor irritantes validius, inducunt facile. Ergo ab excretione peri- pherica aut suppressa, aut languescente, muci ſecretio poterit etiam augeri. Quoniam autem tunc, respectu niſi excedentis ſecretionis, excretio languescere debet (§. X. n. II.): aucta illa, ab excretionis periphericae lan- guore

guore aut suppressione, muci secrecio cum languida eius excretione connexa fit necesse est. Tandem excretio peripherica languescens, aut suppressa, tenuis nimis muci copiosius excreti caussa esse potest. Quoniam enim aqua et sales caussae sunt humores nostros resoluentes (per Physiolog.); id omne etiam, quod aquae et salium copiam auget, mucum magis tenuem redde-re valebit. Sed massa in cutis superficie excernenda aquosa est et salina. Ab eius itaque in corpore accumulatione maior muci tenuitas oriri potest, vnde dein fit, vt tenuis quoque et copiosus excernatur mucus (§. XIV. n. I. §. XII. n. IV.). Praeterea vitia haec excretionis periphericae vasa arctare, atque, ob irritationem, vires mucum exprimentes excitare valent (per Patholog. et anteced.), vnde iterum tenuis magis et copiosus excernitur mu-cus (§. XIV. n. II. III. §. XII. n. II.). Quamobrem dubitare non possumus, quin inde a transpiratione suppressa, aut nimis languida redditum, tenuioris muci excretio oboriri queat. Quum itaque eiusmodi circa transpirationem oborta vitia non solum materiam irritantem sanguini inducant, verum praetera quoque se- et excretionis humoris mucosi negotium turbare queant: colligitur inde, ea caussam catarrorum suppeditare sufficientem, si alia ad-fuerit, quae efficit, vt eorum effectus in loca catarrhi potius, quam in alias corporis humani partes cadant. De hac vero caussa inferius dicendum erit pluribus.

§. XVIII.

Fit inde (§. anteced.), vt commorationes in locis frigidis, vestitus ni-mis leuis, transitus ex aere calidiori in frigidorem, itinera, minus con-veniente tempestate suscep-ta, atque aquae demum frigidae, corpori, su-danti praecipue, adpersae, catarrhorum foecundae existant caussae.

§. XIX.

Praeter excretionem periphericam sufflaminatam aut languescentem (§. XVII.), aliae quoque excretiones mucosae inconuenienter suppressae,

20 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA, DE CATARRHIS,

vel languidae redditae, ad catarrhorum caussas referendae veniunt. Notum nimurum est ex iis, quae partim in Physiologia, partim in Pathologia demonstrantur, quod, excretione quadam languida reddita, aut plane suppressa, alia, priori maxime similis praecipue, intendatur. Quando enim excretio fluidi secreti retardatur, vel plane impeditur, nimia tum fluido de nouo fecernendo oritur resistentia, impeditur huius secretio, et sanguis, secretioni alias destinandas, copiosius ad alia loca abit secretoria, ibi auctam dein secretionem producens. Quum vero sanguis, ad loca secreto-ria delatus, iis etiam qualitatibus gaudeat, quibus fluidum secretum praeditum esse deber (per Physiol.): sequitur inde, excretionem fluidi cuiusdam secreti, impeditam, eam maxime secretionem auctam reddere oportere, sub qua fluidum, cuius egressus ex alia parte impediebatur, separatur a sanguine. Mucosae itaque excretiones impeditae efficient, vt muci secretio in alia parte increscat. Ergo id quoque in locis, vbi catarrhi haerent, contingere poterit. Nimis vero aucta muci secretio, in partibus, a catarrhis afficiendis, subnata, impeditam illius producit excretionem (§. X. n. II.), vnde catarrhi oriuntur (§. XVI.). Excretiones itaque mucosae aliae inconuenienter suppressae, vel languidae redditae, catarrhorum erunt cau-ſae, quatenus cum iisdem tam acris in humoribus materia, quam disposi-tio in locis catarrhi praefens est. Acris vero materia facile in hoc casu ideo accedit, quod sub mucosis excretionibus, praeternalibus potissimum, non minima salium quantitas e corpore eliminatur, vt effectus testantur.

§. XX.

Perspicere satis luculenter ex anteced. possumus, cur *diarrhoeae mu-cosae, haemorrhoides mucidae, fluxiones vteri mucidae, remedis ad-stringentibus inconuenienter tractatae*, aut, *frigore ad corpus admisso, suppressae, catarrhos efficiant?* Vid. *Celeberr. CARTHEVSE RVS l. c. §. III.*

Vti

Vti enim catarrhi, modo sponte, modo minus rite tractati, diarrhoeam, haemorrhoides albas et fluorem album producunt; ita neglegti hi quoque morbi vicissim caussae catarrorum euadere possunt.

§. XXI.

Huic catarrorum caussae (§. XIX.) similis est alia, *retroactio* nimirum *materiae viscidae et acris, in exanthematibus vel ulceribus, in corporis peripheria subnatis, contentae*. Quum enim materia haec viscida, hinc muco similis, ponatur, et praeterea acris quoque concipiatur: retropulsae huius materiae effectus iis respondebunt, quos muci, acrimonia imbuti, retropulsio procreare soler. Hinc ab eiusmodi materiae retroactione catarrhi etiam excludi possunt (§. XIX.). Vnde elucescit ratio catarrorum, a *scabie, tinea capitidis et crux laetea retropulsa* subortorum. In his enim morbis descriptae materiae conditiones obtinent.

§. XXII.

Verum aër quoque *acris et humidus* numero catarrhos suscitantium caussarum adnumerandus venit. Aër enim, qui non solum corpus nostrum ambit, sed per os et nares ad pulmones etiam defertur, si acris factus fuerit, sequentia efficit: 1. Stringit vascula cutanea, hinc cohibet impeditque transpirationem; 2. resorptus ad massam humorum, hanc acrem reddit; 3. stringit vasa narium fauciisque excretoria, atque ideo 4. excretionem muci in his partibus sufflaminat (§. X. n. VI.), qua praepedita, secretio muci adaugetur (§. XI. n. VI.). Aër itaque acris modo immediate (§. XVI. et anteced.), modo mediate, transpirationem nimirum supprimendo, caussa catarrorum existere potest (§. XVII.). Quod humidum attinet aërem, ille excretoria cutis vascula ita afficit, ut humidum secretum, quod continent, efficerne nequeant. Supprimit itaque transpirationem, atque catarrorum euadit caussa (§. XVII.). Laxando dein vasa, obstruktiones

22 DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA, DE CATARRHIS,

in vasibus muciferis narium fauciisque, quae sub transitu ad pulmones attingit, facile producit, quae nouam catarrhorum suppeditant caussam (§. XVI.).
Quamobrem tam acris, quam humidus aer catarrhorum ortui fauet.

§. XXIII.

Innotescit ex §. anteced. et §. XVII. ratio, cur catarri *vere* et *auctum* tam frequentes occurrant? Acrimoria scilicet aeris, celerrimae saepe tempestatis e calida in frigidam atque e frigida in calidam mutationes, incuria hominum, non satis sese corpusque suum contra has munientium, phaenomenon hoc producunt.

§. XXIV.

Copia etiam atque *nimia muci visciditas* catarrhis fauent. Quum enim in eiusmodi corporibus, quae muco vel nimium opplicantur, vel viscidio laborant, facile, ob languidas scilicet vires assimilantes, atque serofarum excretionum malum successum, humorum nascatur acrimonia; et ab ipsa deinde copia, aut visciditate muci nimia, varia circa se- et excretionem muci via oriri queant (§§. IX. seqq.); hincque tandem, adiuncta acrimonia, catarrhi producantur (§. XVI.): nullum poterit dubium esse, quin copia et visciditas muci nimia corpora ad concipiendos catarrhales affectus quam maxime disponat.

§. XXV.

Ergo (§. anteced.) corpora, quibus vitia haec contigerunt, praeceteritis catarrhis adfici debent. Pertinent huc *subiecta phlegmatica, infantes, foeminae* etiam, denique isti homines, quibus *irresolubiles* atque *viscidici* sunt ad palatum. *Celeberr. CARTHEVSERVS l. c. §. III.*

§. XXVI.

Ob eandem ferme rationem (§. XXIV.) *plethora* atque *congestiones sanguinis versus caput* catarrhos inducunt. Plethora enim, quum generaliter

tim

tim nimis magnam sanguinis supponit quantitatem, maiorem etiam muci in sanguine copiam inuoluere debet. Praererea exinde acrimonia humorum originem suam sumere potest, dum nempe plethora et affixum sanguinis cum vasorum lateribus, hinc resolutionem saliuinque liberationem, auger, et liberiorem minusque impeditum se- et excretionum progressum prohibet. Quapropter plethora ad catarrhorum caussas iure pertinebit (§. XXIV.). Vnde etiam sit, vt *subiecta sanguinea* frequentius catarrhos concipient. Congeßiones, ad loca secretoria directae, et a sanguine factae, se- et excretionum negotium grauiter turbant, fusius id demonstrante Pathologia. Quando itaque congestiones eiusmodi ad loca catarrhorum vergunt, quale quid sub sanguinis versus caput congestione contingit; quando sanguinis acrimonia simul adest, aut cauſa congestioñis ita comparata est, vt praeter hanc saliu quoque nimis auſtam in sanguine reddat quantitatem: inde a congestionibus massae sanguineae versus caput necessarius fit catarrorum ortus. Confer. §§. XVI. XVII. Patet hinc simul, catarrhos capitis morbis fese adiungere posse.

§. XXVII.

Quum haemorrhagiae sollemnes suppressae plethoram et congestiones versus alias partes efficiant: sequitur exinde, *eiusmodi haemorrhagias obstruetas* catarrhos ingenerare posse (§. anteced.). Referri huc potest *fluxus menstruus et haemorhoidalis coibitus*. Celeberr. CARTHEVSE RVS l. c. Narium etiam *haemorrhagia, imprudenter suppressa*, huc pertinebit, quando scilicet per adstringentia et cohidentia remedia haemorrhagia equidem ipsa, non vero congestio ad nares tollitur. Tunc enim secretio muci eiusque excretio turbantur.

§. XXVIII.

Demum *acrimonia sanguinis* catarrhos procreare valet. Acrimonia nimirum sanguinis mucum etiam, hinc et eum, qui ad loca catarrhi defer- tur,

24 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA, DE CATARRHIS,

tur, acrem supponit. Acris vero mucus vitia se- et excretionis muci efficit (§§. IX seqq.), vnde catarrhi suscitari possunt (XVI.). Quamobrem acrimonia sanguinis ad catarrhorum caussas referenda erit. Nonne hinc augurari licet, catarrhum saepe ab ipsa febre procreari, quam acris in sanguine producta materia accedit? Neque ratio, neque experientia huic asserto contradicere mihi videntur. Nociuam in corpore haerentem materiam ad loca se- et excretoria vi cordis, ab ista materia grauius irritati, defiri, ex caussa, quae cor mouet, ex phaenomenis febris, et ex communicatione vasorum inter se cognosci sufficienter potest. Dein ipsa experientia docet, febrem, quam *catarrhalem* dicere solent, prius catarro ipso adesse nonnumquam, vnde verosimiliter concludere possumus, febrem demum, Naturae vi quasi excitata, febrilem materiam ex parte ad loca catarrhi detulisse. Frequentius forsitan haec obseruarentur, si partim aegri Medici auxilium citius implorarent, partim Medici ipsi ad phaenomena occurrentia maiori cum cura attenderent.

§. XXIX.

Recensitae hactenus a nobis catarrhorum caussae in tantum demum catarrhos producunt, in quantum in loca, quae a catarrhis occupantur, agunt. Quum vero praeter haec alia quoque existant loca, se- et excretioni muci destinata, atque ex ipsis allatis caussis sufficienter ad minimum adpareat, quod, si adfuerint, in partes, quas catarrhi adfligunt, agere necessario debeat: sequitur, praeter istas caussas aliam adhuc simul in corpore praesentem esse oportere, quae id efficit, vt illae in haec potius, quam alia corporis humani loca agant (§. XVII.). Quaenam nunc haec caussa sit? viterius inquirendum restat. Pater ex superioribus, sub omni catarrho se- et excretionem muci in naribus, sinubus, fauibus accusandam esse, atque modo hoc, modo illo vitio laborare (§§. IX. seqq. §. XVI.). Quodsi itaque

cata-

catarrhus quidam a caussa interna effici debet: caussa quaedam ad sit necesse est, quae nocuam materiam ad loca catarri afficit. Huc vero pertinent omnes caussae, quae congestionem humorum producunt. Ergo catarrhus, a caussa interna oriundus, requirit, ut caussis catarrhorum generalioribus (§. XVI.) eae accedant, quae humores ad loca, a catarrhis afficienda, congerunt. Verum irritatio, debilitas atque locorum vicinitas sunt eiusmodi caussae, quae congestionem humorum ita dirigunt, ut, si ab interna caussa determinanda sit, ad certa tantum loca vergat. Quamobrem catarrhi, quorum caussa magis est interna, praeter generales §. XVI. recensitas caussas, modo irritationem, modo debilitatem, modo dispositionem quandam, a locorum vicinitate profectam, in paribus, a catarrhis obsidens, supponunt. Vid. *Illustr. PRAESIPIS* Dissert. de neglecta benigna febre catarrb. frequ. morbor. pulmonal. caussa, §. VI. Quodsi vero a caussa materiali externa prouenient catarrhi, v. g. ab aere acri, solus tunc contactus sufficit ad labem hancce partibus istis inducendam; neque opus est tunc necessario, ut in his aur debilitas, aut alia irritatio peculiaris praecexistat, licet certum sit, quod, si alia caussa prae disponens simul adest, effectus debear esse longe facilior.

§. XXX.

Sufficienter, pro instituto nostro, de catarrhorum differuiimus causis; transcedendum itaque erit ad eorundem *effectus* (§. VII.). Si, quae in superioribus (§§. II. seqq.) de catarrhis dicta sunt, attente consideraueris: reperies facile, catarrhos vel auctam quandam acerioris cuiusdam fluidi excretionem, vel nullam eiusmodi excretionem necessario supponere. Illuc coryza pertinet (§. V.); hic vero angina pituitosa, branchus, rauicitas, grauedo (§§. II. III. IV.). Quum itaque catarrhorum species hac in re a se inuicem differentia; quumque, vti dein adparebit, catarrhorum effectus inde ab ista differentia diuersi reddantur: consideraturi catarrhorum effe-

D

ctus,

26 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA, DE CATARRHIS,

Etus, primo illorum indagabimus effectus, in quibus largior excretio non adpareret, subiunctis dein istis, qui a catarrhis, quatenus largiorem liquidi acrerioris sibi vindicant excretionem, producuntur.

§. XXXI.

Effe ctus equidem, qui ab istis catarrhorum speciebus pendent, quae nullam auctiorem, sed imminutam potius muci excretionem requirunt (§. anteced.), ita considerari possent, vt, generalioribus effectibus praemissis, ad magis specialiores descenderemus; varias quoque diuersitates hac in re stabilire possemus, quum ex superius allegatis harum specierum caussis facile colligi queat, quod sub iisdem modo muci secretio notabiliter cesseret, modo ita adaucta sit, vt eius respectu excretio muci languescat, haecque contingat vel ita, vt mucus, copiosius secretus, in vasculis stagnet, vti sub grauedine et angina pituitosa, vel hac ratione, vt copiosius tantum cauo cuidam infundatur, prouti hoc sub brancho fit (§. IV.). Ne vero praeter necessitatem meum hac de re sermonem extendam: iuuabit, speciales statim horum catarrhorum adducere effectus, vt tamen simul generalioris istius effectus, ab acrimonia pendentis, febris nimirum aut motuum febrilium (§. VIII.), memores semper simus, de quo ulterius hic dicendum non erit, quum eodem iam, vt principio, vni simus.

§. XXXII.

Ergo grauedo (§. V.) hos excludit effectus atque supponit: I. *Congestiones sanguinis versus caput.* Grauedo enim auctam secretionem muci in sinibus nasi naribusque requirit (§. XVI.), quae auctam sanguinis quantitatem, ad haec loca adpulsam, sibi vindicat; praeterea vero sub omni catarro aere irritans humorum oceano innatat, quod noua congestionum sanguinis versus caput existit caussa (per Pathol.). Ergo necesse est, vt cum omni grauedine simul congestio sanguinis versus caput connexa sit.

II. *Gra-*

II. *Grauitatis sensum, circa sinus frontales perceptum.* Grauedo enim a nimia muci copia, indeque pendente vasorum muciferorum distensione atque languida muci per nares excretione, exoritur (§. V. XVI.). Hinc sub grauedine sinus etiam frontales a muco nimium quantum adimplentur. Quum vero, quando in parte quadam corporis humani copia fluidi cuiusdam nimium adaugetur, sensus inde grauitatis ponderisque subnascatur: talis etiam sensus, praesente grauedine, circa sinus frontales percipi debet.

III. *Dolorem capitinis.* Proficiscitur hic partim a congestione sanguinis versus caput, partim a sensu grauitatis circa sinus frontales (n. I. II.). IV. *Siccitatem tunicae pituitariae eiusque ardorem.* Vid. *Celeberr. CARTHEVSERI Fundam. Pathol. et Therap. Tom. I. Sect. VI. Cap. II. §. I.* Tunica enim pituitaria muco continuo illinitur sub sanitatis statu, hincque impeditur, quo minus sub transitu aëris per pulmones exsiccatur. Quando ea propter contingit, vt mucus iste deficiat, prouti sub grauedine esse debet (§. XVI.), opus tum est, vt siccitas tunicae pituitariae inde originem suam sumat. Eadem caussae ardor huius tunicae adscribendus erit. Continua enim adeo nudorum, fluidoque inungente destritorum, neruorum ab aëre facta irritatio ardorem procreabit, quem adaucta simul sanguinis congestio (n. I.) grauiorem reddit. V. *Respirationem laesam.* Ob insolitam scilicet tunicae pituitariae distensionem in- et egressus aëris valde impeditur, qua de caussa fit, vt neque in- neque exspiratio rite succedat. VI. *Oculorum Splendorem, lippitudinem cum sensu morsicationis in angulis oculorum.* Vid. *CARTHEVSERVS l. m. c.* Grauedini praesenti congestio sanguinis versus caput semper accedit (n. I.), quae itaque cum oculis quoque communicari debet. A maiori vero sanguinis copia, ad organum secretorium delata, largior oritur fluidi, ibi separandi, secretio. Praesente ergo grauedine fluidum, in oculis secernendum, copiosius secernatur necesse est. Hinc autem splendor oculorum et lippitudo deriuari debent (per Pathol.). Quam obrem

28 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA, DE CATARRHIS,

obrem ista modo dicta symptomata cum grauedine connexa erunt. Quoniam tandem catarrhi sine acrimonia fluidorum concipi non possunt (§. VIII.): inde sensus ille mortificationis in angulis oculorum deduci debet. VII. *Olfactus et gustus imminutionem*, quae partim a neruorum ariditate (n. IV.), partim a compressione eorum, a distensione vasorum muciferorum inducta, et motus fluidi nervae, per odoriferas particulas concitati, propagationem ad sensorium commune impediens, partim a tenacitate muci, papillulis linguae nimium adhaerentis, efficitur. VIII. *Tussim et aliam catarrbi species.* Quum enim sub omni catarrho acrimonia sanguini insit, et vitia, in vna corporis humani parte suborta, facile sese extendant ad loca virtutis magis vicina: inde a grauedine et tussis et aliae catarrhi species ori-ri queunt. IX. *Adpetitus prostrationem.* Pendet haec partim a gustus imminutione (n. VII.), partim a visciditate muci vel deglutiti, vel ab ipsis sanguine ita iam in ventriculo secreti. Quidquid enim irritationem ventriculi impedit, illud ipsum adpetitum prostertere valet. X. *Frequentem sternutationem*, quae a deficiente muco, hincque oriunda tunicae pituitariae ariditate facilique neruorum irritatione, subnascitur. XI. *Somnum interrumptum*, aut *somnolentiam, vertigines, difficilem auditum, morbos pulmonales*, aliaque vitia, quae a congestione sanguinis versus caput, a facili morbi ad vicina loca transitu, ab ipsis denique, quas recensuimus, affectionibus morbos oriri et deriuari possunt.

§. XXXIII.

Sequuntur nunc *Anginae pituitae*, grauedini valde similis, effectus. Hi vero sequentes erunt: I. *Tumor faucium*, a distensione vasorum muciferorum proueniens. II. *Dolor partium adsectorum*, itidem distensioni earum, a muco factae, adscribendus. III. *Laesa*, aut *respiratio*, aut *deglutitio*, aut *vitraque actio*. Partes enim, ab eiusmodi angina affectae (§. II.),

§. II.), deglutitioni inferuiunt, easdemque aër sub in- et exspiratione transire debet. Distensio itaque earum vtramque actionem laedere poterit. IV. *Tussis*, quae partim a laesa respiratione (n. III.), partim ab acrimonia sanguinis (§. VIII.), partim a destillatione muci a fauibus ad pulmones subnascitur. V. *Dolores pungentes circa pulmones*, ab iisdem causis, quae tussim efficiunt (n. IV.), deducendi. VI. *Raucitas*. Acritonia enim muci, sub angina ad fauces congesti, spasimum in aspera arteria producere potest, vnde raucitas nascitur (§. XVI.). VIII. *Adperitus prostratio* (§. anteced. n. IX.). Confer. BOERHAAVE l. c. §. 794.

§. XXXIV.

Raucedinis nunc effectus considerandi veniunt. Pertinent huc sequentes: I. *Vox rauca*, cuius ratio ex iis iam, quae §. III. dicta sunt, elucescit. II. *Ariditas laryngis*, ob muci defectum (§§. II. XVI.). III. *Nimia laryngis irritabilitas*, quae itidem a muci defectu et ariditate laryngis exoritur (n. II.). IV. *Tussis*, cuius causa est nimia laryngis irritabilitas (n. III.), accidente ad eam consensu laryngis cum bronchiis. V. *Pruritus in partibus affectis, immo dolor*, ob ariditatem et continuam laryngis irritationem. Ex quibus recensis effectibus reliqua rauicitatis symptomata minus necessaria facile deducuntur.

§. XXXV.

Branchus sumitur modo pro rauitate, modo pro angina pituitrofa, modo pro stagnatione muci vel in glandulis asperae arteriae muciferis, vel in cauo huius arteriae (§. IV.). Effectus itaque branchi patent partim ex §§. XXXIII. XXXIV. partim vero sequentes sunt: I. *Difficilis respiratio*; ob muci enim accumulationem in aspera arteria, quam aër sub suo ad pulmones itinere exque his egressus transit, in- et exspiratio rite contingere nequit. II. *Tam in-quam exspiratio redditur sonora*, ob muci excedentem

copiam, in aspera arteria praesentem. III. *Tussis*; omne enim id, quod respirationem laedit, caussa est tussis, quorsum ergo branchus quoque pertinebit (n. II.). Accedit ipsa muci stagnantis acrimonia (§. VIII.). IV. *Anxietas, congestio sanguinis versus caput et pulmones*, quae partim a laesa respiratione (n. II.), partim a tussi proficiuntur. Vnde noui denuo oriuntur effectus.

§. XXXVI.

Delineauimus sic maxime frequentes eiusmodi catarrhorum effectus, qui cum languida muci excretione connexi sunt. Nunc vero *coryzae*, seu istius catarrhi, sub quo maior muci copia excernitur, effectus pensandi veniunt (§. XXX.). Referendi huc sequentes sunt: I. *Inminutio muci*, in corpore praesens. Largior enim huius fluidi adest excretio. II. *Imminutio acrimoniae*, humoribus sub omni catarrho inexistentis (§. VIII.). Fluidum enim largius excretum est acre (§. V.). III. *Imminutio plethorae*. Quo enim maiori in quantitate fluida secreta excernuntur, eo magis sanguinis quantitas, in corpore praesens, imminui debet, nisi forsitan per alias caussas tantum denuo sanguini accedat, quantum ei detraictum est. IV. *Puritas sanguinis, ad cerebrum vehendi*. Constat enim ex Physiologia, quod sanguis, ob muci in sinibus nasi naribusque secretionem, hancque dein subsequentem excretionem, purior magis ad cerebrum vehatur. Largior itaque muci excretio, sub coryza seu phlegmatorrhagia contingens, puriorem necessario hunc sanguinem reddere debet. Atque hoc sensu dici omnino potest, *catarrhos cerebrum purgare*, qua in re disputanda adeo multi quondam fuerunt Medici. Errarunt vero, qui ex destillatione seri viscidi et acris a cerebro ad nares hanc deduxerunt cerebri purgationem, qua de re vide §. XV. V. *Morbos viscerum, ex acrimonia seri oriundos, praecauet*. Imminuitur enim acrimonia humorum ope eiusmodi catarrho-

tarrhorum (n. II.). Quot itaque quantique sunt morbi, quorum ortus hoc Naturae conamine impeditur! Vid. *Illustr. PRAESIDIS Dissertat. citat.* VI. *Dolorem etiam et arrosonem partium affectarum nonnumquam efficit phlegmatorrhagia, maligna potissimum, ob muci et seri largius excreti acrimoniam* (§. VIII.). Demum VII. *simillima, sed mitiora, producit symptomata, ac grauedo* (§. XXXII.). Coryza enim cum leuiori quadam grauedine (§. V.) semper stipata incedit; vt de eo nil dicam, quod grauedo per coryzam successiue soluat, testante id satis superque experientia. Nonne itaque similia symptomata ab ipsa coryza produci debent?

§. XXXVII.

Omnia nunc collegimus momenta, quae ad diiudicandam et determinandam catarrhorum salutem necessaria nobis videbantur. Res ipsa, his praemissis, breuibus absoluti potest. Quando in morbo quodam quidquam reperimus, quod cum sanitate corporis humani consentit: dicere tunc solemus, hunc *morbum eatenus salutem adferre corpori humano*. Qui ergo morbus statim sanitatis magis confirmat, qui dispositionem morbosam aut tollit, aut imminuit, qui denique morbos praecauet grauiores, is eatenus corpori humano itaque adferet salutem.

§. XXXVIII.

In quolibet morbo non nisi tria detegere possumus, morbum nimirum ipsum, caussas illius, et effectus. Quodsi ea propter de morbo quodam adfirmetur, eundem salutem corpori nostro adferre: necesse est, vt huius caussa vel morbus ipse, vel eius caussae, vel denique effectus, inde a morbo in corpore humano producti, existant. Morbus, in se spectatus, semper est quidquam, quod a sanitatis statu deflectit, alias non esset morbus. Qui ergo adfirmat, morbum, in se spectatum, salutem corpori humano adferre, is concedere debet, ab imperfecto, quatenus est imperfectum,

32. DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA, DE CATARRHIIS,

fectum, posse perfectum effici. Hoc vero aduersatur primis cognitionis humanae principiis. Ergo morbum quendam, in se spectatum, corpori humano salutem adferre, nequaquam adserere possumus. Quamobrem etiam catarri, quatenus morbi sunt, et in se spectantur, nullam corpori nostro adferunt salutem, sed potius, quantum possunt, illius interitui fauent.

§. XXXIX.

Quid vero de caussis catarrorum dicendum? Dari morborum caussas, quae corpori salutem adferunt, dubitari nequit. Docet id exemplum, a fluxu menstruo regulari petitum. Quando in subiectis sexus sequioris, maxime etiam ceteroquin fanis, fluxus ingruit menstruus, ista nihilo minus varia percipere solent incommoda, v. g. tensiones, motus febriles, quibus morborum nomen procul dubio competit. Fluxus interium menstruus regularis, horum morborum caussa, corpori salutem ad fert. Sunt itaque morborum caussae, quae ad salutem corporis humani tendunt. An ergo catarrhos, ob caussas, a quibus efficiuntur, corpori nostro salutem adferre, dici potest? Nego id. Notabimus enim, a) morbum non ideo statim salutem adferre, quoniam eius caussa corpori conducit. Quis spasmos, a fluxu menstruo regulari pendentes, dixerit salutares? Licet ergo concipere etiam velimus, caussas catarrorum corpori nostro salutem adferre: non ideo tamen statuere possemus, catarrhos ipsos nobis adeo existere salutares. b) Nullam causam catarrorum corpori nostro salutem adferre. Paret id ex ampla caussarum istarum recensione, in superioribus suppeditata. Omnis enim catarrorum caussa vel morbus est vere, vel saltet dispositio morbos. Hinc catarri ob caussas quoque, a quibus pendent, corpori humano nullam adferunt salutem. Neque memini etiam, quemquam hoc affirmasse.

§. LX.

§. XL.

Restant itaque tantum catarrhorum effectus (XXXVII.). Effectus catarrhorum, vt in superioribus ostendimus, dupli modo considerari possunt. Vel enim pendent a largiore fluidi acroris excretione, vel oriuntur a muci aut valde imminuta secretione, aut valde languida excretione (§. XXX.). Ad posteriores effectus pertinent: congestiones sanguinis versus caput et pectus, sensus grauitatis circa sinus frontales, siccitas et ardor tunicae pituitariae, dolor capitis, respiratio laesa, oculorum splendor, lippitudo cum sensu mortificationis in angulis oculorum, olfactus, gustus et appetitus imminutio atque prostratio, tussis, febris, nouus catarrhus, sternutatio frequens, somnus interruptus, somnolentia, vertigo, difficilis auditus, morbi pulmonales, dolor faecium, laesa degluritio, dolores pungentes circa pulmones, vox rauca, dolor laryngis, ariditas et nimia eius sensibilitas, anxietas et respiratio sonora. Consideres, quaeſo, nunc fuse hic recensitos catarrhorum effectus, atque nullum reperies, cui salutem adscribere posses, praeter lippitudinem, tussim et sternutationem frequentem, quibus scilicet fit, vt pars materiae nociae e corpore expellatur. Quoniam vero lippitudinis ope non adeo magna seri acroris copia excernitur, et praeterea acris ad oculos delata materia pessimos producere potest effectus; quum tussis, cum catarrhis coniuncta, sicca frequentissime sit, atque demum sternutatio frequens plus detrimenti, quam commodi post se trahere soleat: perspicere facile possumus, istos catarrhorum effectus non ita esse comparatos, vt ideo catarrhis tanta tamque magna tribui debeat salus. Vt iam id omittam, quod in nonnullis subiectis recensita symptomata tristiorum effectuum cauſae euadere facile queant. Quantum nocibit lippitudo subiectis, oculorum vitio laborantibus! Quantum detrimenti afferet tussis hominibus, quibus pulmones valde sunt laesi! Quam

E

magna

34 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA, DE CATARRHIS,

magna denique est frequentiorum sternutationum noxa in subiectis, quorum pectus male est conformatum! Catarrhos itaque vix ideo praedicandos laudandosque esse autumo, quod lippitudinem, tussim et sternutationem frequenter efficiant.

§. XLI.

Sed dicendum denum adhuc est de ipsis effectibus, quos catarrhi, cum largiore fluidi acrioris excretione coniuncti, generant (§. anteced.). Ipsi effectus vel cum recensitis (§. ant.) conueniunt (§. XXXVI.), vel non, sed magis sunt speciales. Quod priores attrinet, hi vel plane non, vel parum salutis corpori humano adferre possunt (§. anteced.). Maxima ergo salus, a catarrhis hisce exspectanda, specialioribus horum effectibus inniti debet, ita tamen, ut huc arroso partium (§. XXXVI. n. V.) non referatur, vt pote quae minime cum statu sanitatis conspirat, neque ullum producit effectum, a quo salus speranda esset. Muci scilicet abundantia vel verus est morbus, vel saltē dispositio morbos; acrimonia, plethora, morbos inuoluunt; puritatem denique sanguinis, ad cerebrum deferendi, efficere, viscerumque morbos praecauere grauiores, effectus sunt, qui cum sanitate consentiunt (per Physiol. et Pathol.). Verum a coryza producuntur (§. XXXVI.) muci, plethorae et acrimoniae imminutiones; cerebrum inde purgatur et grauiores praecaudentur morbi. Vnde constar, *borum effectuum respectu catarrhos praecipue salutem corpori humano adferre, interque illas coryzae prae ceteris hanc salutem tribuendam esse.*

§. LXII.

Quamuis vero certum sit, catarrhos vere salutem corpori adferre nostro: cauendum tamen est, ne eandem nimium extendamus. Sunt enim **primo**, qui coryzam, ob sperandam inde salutem, *ne morbum quidem esse concedunt*. Pertinet huc praecipue *Celeberr. CARTHEVSEVS*. Postquam

quam enim (Dissert. de *Plethorae imminentia critica per varias excret. mucosas*, Francof. 1746. §. VII.) varios salutares coryzae effectus recensuerat, haec adiicit: *Vnde liquido pariter innote/cere opinor, coryzam, autunnalem aeque, ac vernalem, rectius morborum remediis, quam ipsis morbis adnumerari, eandemque haemorrhagiae aut venaesctionis vice saepissime perfungi, licet patientibus aliquam molestiam creare soleat.* Simile iudicium fert in *Fundam. Pathol. et Therap. Tom. I. Sezt. VI. Cap. II* §. I. Verum, ut pace eximii huius Viri dicam, non video ego quidem, cur coryzae ideo morbi nomen tribui non queat, quod salutem corpori adfert? Dantur diarrhoeae salutares. Quis vero negabit, eas morborum numero accensendas esse? Ipse *Cel. carthevservs* ita sentire videtur. Quamuis enim (l. m. c. *Tom. II. Sezt. II. Cap. X.*) largiatur, exsistere diarrhoeas maxime salutares, numquam tamen ibi adfirmat, hasce diarrhoeas ideo non esse morbos. Quilibet morbus, salutaris quoque, praeter naturale quidquam in corpore supponit, cuius respectu morbus dicensis venit. Nonne idem de coryza valebit?

§. LXIII.

Alii hanc de coryzae salute conceptam opinionem ita extendunt, ut illam nullis medicamentis vimquam turbandam esse credant. Nunc verum equidem est, quod inconuenientia medicamenta sine magno periculo sub coryza adhiberi non possint. Verum quoque est, quod medicamenta ad leuiorem coryzam tollendam usurpari non debeant. Sed prius non de coryza tantum, verum de quolibet morbo valet, atque posterius ob catarrhi leuitatem, non vero ob periculum, a conuenienti medicamentorum usu metuendum, Medici suadent. Non possumus itaque exinde colligere, nullis vimquam medicamentis ad imminuendam tollendamque coryzam vtendum esse. An vero ideo omnia omittenda sunt medicamen-

36 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA, DE CATARRHIIS,
ta, quoniam coryza morbus est salutaris? Sed Medici ipsi ad facilitandos,
immo nonnumquam imminuendos et reprimendos morbos salutares medi-
camentis vtuntur.

§. XLIV.

Alii tandem coryzam adeo salutarem esse dicunt, vt nullo vñquam
remedio nulloque medicamento tanta salus effici queat, quantam coryza
producit. Verum enim vero omnes salutares coryzae effectus per con-
gruorum remediorum vsum non tantum impetrare, sed etiam conuenientius
adipisci possumus. Plethoram melius tollit venaefctio, immo sudor
eundem praefstat effectum; muci nimiam copiam imminuimus melius per
resoluentia, laxantia, diaphoretica et diuretica; acrimonia tollitur conue-
nientius vsu remediorum, partim acre ad excretionem praeparantium,
partim diaphoreticorum, diureticorum et laxantium; similia denique his
et cerebrum purgant, et morbos viscerum, a vitiis istis subnascentes,
praecant, atque id ita quidem, vt minora inde ad corpus humanum re-
dundent incommoda. Patet ex his simul, *quantopere salus, quam a co-*
rystae præsentia sperare possumus, restringenda sit, neque minus elu-
cescit, *catarrhos ob salutem suam numquam exoptandos esse*. Plura de
catarrhorum salute horumque praecognitis hac in re opinionibus
disputauit egregie *Celeberr. TISSOT*, in *Avis au peuple sur sa santé*,
Edit. germ. §. 112. seqq.

§. XLV.

Diximus de catarrhis, quatenus corpori nostro salutem adferunt.
Sequitur nunc, vt *regulas* quasdam adiungamus, quas obseruare oportet
aegros ex catarrhis, indeque salutem sperantes. Quum ideo maxime sa-
lutem adferant catarrhi, quod largior sub iisdem fit fluidi acrioris excretio
(*XLI.*): *hinc omne id evitandum erit, quod hanc impedit ita, vt ad no-*
biliora

biliora loca feratur fluidum acre; id contra ea agendum, usurpandum atque adhibendum est, quod muci excretionem promouet, et incommoda, inde ab illius in vasis muciferis flagratione oriunda, aut tollit, aut imminuit. Generalis haec est regula, ex qua reliquae magis speciales deducuntur facile.

§. XLVI.

Huc itaque sequentes pertinebunt regulae: I. Cauendum est, ne transpiratio imminuat; eo potius erit admittendum, ut continuo vigeat. Alias enim materia catarrhalis noua capit augmenta (§. XVII.), viscerumque variae laesiones inde metuendae sunt. II. Aër frigidus, nimis calidus, humidus, siccus et acris fugiendus est. Inde enim ab ipsis aëris vitiis modo transpiratio laeditur, modo materia catarrhalis retrahitur, modo caussae, catarrhum huiusque effectus producentis, magnitudo increscit. III. Egitentur reliquae catarrhorum caussae, in superioribus (§. XVII. seqq.) recensitae. Increscente enim caussa, increscit effectus, inde oriundus. IV. Quando coryzam praecedens grauedo nimis vrget, spontaneamque sui per coryzam resolutionem nimis diu renuit: poterunt tunc resoluentia remedia externa, mitius agentia, ut et interna, cum dia-phoreticis, diureticis et acrimoniam emendantibus remixta, usurpari, ita tamen, ut ea præ ceteris elegantur, quae blandius magis agunt. Ad resoluentia, externa praecipue, semen Nigellae referri meretur, quod contusum, sacculo inclusum, naribus admoueri poterit. Fortiora errhina minus commendarem; non tantum enim tam caput, quam pectus valde adficciunt, verum plerumque etiam momentaneum tantum auxilium afferunt; quid? quod nonnumquam, ob fortissimam vasorum contractionem, materiam catarrhalem repellunt. *Celeberr. TISSOT l. c. §. 190.* vapores aquae dulcis calidae naribus attrahendos suadet. Verum isti vapores niuum vasa

38 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA, DE CATARRHIS,

relaxare videntur. Melius huic scopo aquae, quacum aromaticae plantae coctae sunt, vapores destinari possunt, quos Idem clarisf. Vir commendat. Confortantia cephalica et roborantia caput, exterius adhibenda, caure applicari debent, et cauendum est, ne materia catarrhalis retropellatur, aut subiectis, adeo fragrantem odorem perferre non valentibus, molestia creetur. Interno vsui praeterea destinari possunt Ess. Pimpin. alb. Ess. Helen. Ess. Succini, Scordii, alexipharmacum denique **STAHLLI**. Horis dein vespertinis pulueres temperantes, resoluentes et dia-phnoici exhiberi possunt, quorum compositio abunde iam innovuit. V. *Omnia vitanda sunt, quae nimiam humorum rarefactionem efficiunt.* Eiusmodi enim res, aut remedia, simul acrimoniam augent, hincque nocuia sunt. Pertinent huc spirituosa, calor nimius externus, atque animi pathemata, quae simul transpirationem minuant (n. r.). Quare etiam Essentiarum usus in sensibilioribus subiectis plane exulare debet.

§. XLVII.

Duo adhuc remedia hic attingenda erunt, quae salutarem catarrhorum effectum praepedire multi putant, *Venaesectione* nimirum et *laxantia*. Quod Venaesectionem attinet, de ista vberius iam multa differuit *Illustris Praeses*, in Dissert. de *Venaesectione in febris catarrh. non semper nocua*. Nos itaque ea tantum hic adducemus, quae de usu eius sub simplici catarrho dicenda veniunt. Ideo scilicet nonnulli venaesectionem sub simplici catarrho reformidant, quoniam, ea instituta, febrem catarrhalem ex simplici catarrho suboriri autumant. Neque specie destituitur hoc argumentum. Mucus enim ad loca catarrhi, hoc praesente, congestus, acris est, atque ipse sanguis, qui tunc critice quasi ad istas partes defertur, non leui acrimonia imbutus est. Facta venae incisione sanguis deriuatur; refluit itaque ad loca catarrhi propulsus sanguis, suamque acrimonię cum reliquo denuo communicat, hincque febrem catarrhalem accedit (§. VIII.).

Verum

Verum enim vero si a venaefectione effectus iste produceretur semper, intelligi non potest, 1. cur eadem acris massa, sanguini antea inexsistens, febrem catarrhalem non effecerit? 2. Cur venaefectione, docente experientia, non tantum febrem catarrhalem saepe non produxerit, verum quoque ipsum catarrhum, nullo virtio in corpore reliquo, soluerit? Vid. *Celeberr. CARTHEV-SERI* Disserrat. citat. §. VI. 3. Cur, praesentibus aliis vitiis, circa se - et excretionem muci subortis, venaefectione sine noxa adhibita sit, vrgente scilicet necessitate instituta? Negari quidem neque potest, neque debet, quod venaefectione nonnumquam subsequatae febris catarrhalis fuerit caussa. Sed inquirendum vltterius foret, an ea tunc ab ipsa venaefectione, aut potius ab accidentalibus quibusdam circumstantiis determinata sit?

§. LXVIII.

Longe facilius adhuc *laxantium* noxa sub catarrhis refutari potest. Docet experientia multoties, effectus catarrhales benigne per diarrhoeam mucosam solui. Laxantia vero nil efficiunt aliud, quam quasi diarrhoeam quandam artificialem. Quodsi ergo diarrhoea spontanea in catarrhis conducit, vtique diarrhoea arte, et quidem conuenienter, producta, nocua esse nequit. Qui vero aliter sentit, concedere debet, arti minimē licere, vt naturam prudenter imitetur, quod neminem Practicorum affirmaturum esse iudico. Laxantia itaque, rite in effectibus catarrhalibus usurpara, non nocebunt.

T A N T V M .



JUVENILE

Diss. med. Hal.

g. 1763/64.

ULB Halle
005 379 296

3







AVGVRALIS MEDICA

DE

ARRHIS LVTEM ADFERRE NTVR

VAM

DIVINI NVMINIS
CONSENSV GRATIOSAE
IS MEDICAE
ESIDE

ISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

IA BVCHNERO

IMPERII NOBILI
REGIS CONSILIARIO INTIMO
S PROFESS. PVBL. ORDINARIO, FACVLTATIS
INORVM EPHORO, IMPERIALIS ACADEMIAE
GAR. SOCIETAT. SCIENTIAR. ANGLICAN.
COMITE PALATINO CAESAREO,

O C T O R I S
HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
VM LEGITIME CONSEQVENDIS
S. R. CL IO CCLXIII.

DEFENDET

TOR

FR VS SCHMID T

IVONVS.

AE, LIITERIS BEYERIANIS.